

/ Serenissime Princeps, Domine observandissime. Vidi lib-
entissime Dominum Fridericum Fornerum, cuius egregiam in fide pro-
paganda, ac defendenda constantiam, atque in calumniis falsorum fra-
trum tolerandis patientiam invictam praedicari saepissime audive-
5 ram. Dignissimus omnium est, qui a Serenissima Celsitudine Vestra,
et ab omnibus bonis ametur. De electo vero Bambergensi, quid dicam?
sensi profecto incredibilem animi voluptatem, et tam manifestae
gratiae Dei humillimas gratias egi. Ego enim ex litteris sincero-
rum amicorum oppressionem ecclesiae Bambergensis, turpitudinem vi-
10 tae, et in fide claudicationem episcopi nuper defuncti optime nove-
ram, deque his rebus omnibus saepissime Pontificem Maximum admonui.
Et cum de remediis tanti mali cogitarem, placuit divinae bonita-
ti praevenire consilia nostra, et rem omnem optimo fine concludere.
Ego continuo cum Summo Pontifice, et cum Illustrissimis collegis de
15 celeri confirmatione, et de sumptibus minuendis; et quidem confir-
mationem in hodierno consistorio expeditam omnium suffragiis habe-
mus; de sumptibus minuendis egi accuratissime tum cum ipso Ponti-
fice, tum cum ordinum capitibus, bona verba retuli; an effectus
sequetur ignoro; res enim perdifficilis est cum a multorum consen-
20 su et voluntate dependeat. Ego, ut censeo condonanda esse omnia li-
beraliter in tam bona causa, ita nihil omnisi in cohortandis aliis,
quod ad persuadendum facere posse videretur. His opto Serenissimam
Celsitudinem vestram optime valere, eique omnia precor a Deo se-
cunda, et prospera, et me ad omne obsequium paratissimum offero.
25 Romae die 4 novemb~~mm~~. 1609.